salvos fieri vellet, ille utiq[ue] causa nostræ esset damnationis, quod planè
absurdum, nec ullo modo è Scripturis affirmari atq[ue] probari potest. Unde
Doctor Gentium, D. Paulum puto, qui in 3tium usq[ue] coelum raptus, ibidemq[ue]
edoctus, omnibus, qui quosdam saltem salvari credunt ac statuunt, clarè et expli-
1. Tim. 2. cite contradicit: Sic n[am] inquit: Deus omnes homines vult salvos fieri. Nam Deus
Rom. 8. proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus in mortem ipsum tradidit. Nondum
capitis, Audit[ores] sat sufficienter, quod hic Puer, hic it[em] Filius nostræ salutis causa
sit natus? At capitis, capite hoc mysterium fidei: quum nobis natus Puer, no-
bis datus Filius dicatur. Pertinent eò promissiones Abrahamo aliisq[ue] Patri-
archis factæ, quas, tempore exclusus, libens praetermitto. Pertinet et eò Evan-
Luc. 2. gelii ad pastores concio. Sic n[am] Angelus de coelo missus, magnum illud simpli-
cissimis pastoribus de Salvatore, omni populo dato, annunciat gaudium.
Sequitur, ut, qua ratione hoc Puero, qui nobis natus, hoc it[em] Filio, qui nobis datus,
rectè frui queamus, dicam. Dico a[utem] paucis: quod, ut unusquisq[ue] eodem Puero,
eodemq[ue] Filio rectè frui queat, conditio requiratur fidei. Requiritur, requiritur hæc,
ut quisq[ue] in individuo, quod dicunt, et sibi natum, et sibi datum, et sibi passum,
et sibi mortuum, et sibi resurrexisse, et sibi in gloriam assumptum esse Mes-
siam, firmiter credat ac statuat. Omnis sigd. qui Christiani nomine
gaudens ac omine, salvari cupit, Christum et ejus meritum hoc pacto
sibi applicare debet. Enimverò, nisi fides in hac tanta πολυφιλοσοφίᾳ
accedat, Christi nativitas cum toto satisfactionis opere nihil
prorsus prodest. Contra ea si Christum ejusq[ue] meritum vera fi-
de apprehendamus, omnemq[ue] nostram in eodem ponamus fiduciam,
bonis illis omnibus sine mensura cumulamur, quae ex na-
tivitate, ex passione et morte Christi uberrimè ad nos redundant, ut est
præ cæteris remissio peccatorum, salus et vita æterna. Restat, ut pri-
moribus, quod aiunt, digitis, tangam, vel aperiam potius, quod Puer ille nobis na-
tus, illeq[ue] Filius nobis datus, boni cum corporalis, tum maxime spiritualis, secum
afferat. Unusquisq[ue] a[utem] me non monente, nisi cerebellum in calcaneo gestet,
facile perspicit: quod in eodem Puero, inq[ue] eodem Filio, cujus Principatus super hu-